

Ambref
bury.Ambro-
tius Aure-
lianuſ.Lepora-
rium.

Wolfhall.

Eftormy
five Stur-
my.
Savernac
Forrest.Barrowes
& Burro-
wes.
Tumuli.

ad æternitatis memoriam, quasi virrutis ara. Cer-
te ossa humana hic saepe effossa fuerunt, & pa-
gus qui adiacet ad Avenam, Ambrefbury, id est,
Ambrosii vicus dicitur, ubi antiquos quosdam Re-
ges sivos esse historia Britannica docet, & Eulo-
gium ibi trecentorum monachorum cœnobium
fuisse refert, quod nescio quis barbarus Gurmundus
diripuit. Eo loci postea Alfritha Eadgari
Regis uxor, ut facinus in perimendo privigno
Edwardo Rege, pœnitentia, & pio aliquo opere
expiaret, ædem superbam Monalibus constru-
xit & dotavit, in quo Æleonora vidua Regis Hen-
rici Tertiæ regia pompa renunciata, inter sacras
virgines se Deo dicavit. Ambrosius Aurelianuſ,
qui nomen loco fecit, Romano imperio jam pro-
pe confecto, purpuram, ut P. Diaconus testatur,
in Britannia induit, patriæ labenti suppetias tu-
lit, & bellicos Arthuri opera hostium impetus
repressit, exercitus maximos, ex animosis Ger-
maniae populis conflatos delevit; & tandem col-
latis in hac planicie signis, animam patriæ reddi-
dit. Cum vero Gildas, & Beda hujus parentes,
purpura indutos occisosque scribant, illum è
Constantini illius genere fuisse, qui Theodosio
Iuniore IIII Cos. in Britannia spe nominis Im-
perator designatus, & postea Arelati interem-
ptus fuerat, cur non asseveranter affirmarim? Ab
Ambrefbury cis Avenam vix ad quartum lapidem
est Leporarium vulgo Everlie VWarren, ubi maxi-
mus leporum proventus, quorum venatu nobiles
vicini recreantur; sed non tantus, ut militare
auxilium adversus eos petant accolæ, quod
Balearicos fecisse apud Plinium legimus, licet
messibus itidem sint infesti, vicinumque huic
Luthgerſhall, ubi olim castrum Galfredi Fitz-Petri
Iustitiarii Angliae & Comitis Essexiae opulentissi-
mi. Non multo superius VVolfhall fuerunt ædes
familiaæ claræ Seimor, sive de S. Mauro qui amplam
in hoc tractu hæreditatem Eftormiorum nuptiis
adierunt. Hi in clypeo argenteo tres leones ru-
bros dimidiatos gestarunt, & ab Henrico Se-
cundi temporibus Forresta de Savernac, quæ adja-
cit copiosa venatione, & filice gratissimi odoris
celebris, hæreditario jure Ballivi, & Guardiani
erant. In cuius memoriam Cornu eorum venato-
rium, magnum illud quidem & argento orna-
tum à Seimoris etiamnum servatur.

Paulo magis ad Ortum Cunetio flumen Saxo-
nico Cynewan, vulgo Kennet oritur juxta ejusdem
nominis viculum, quem aliqui CVNETIONEM,
ab Antonino memoratum volunt, sed distantia
utrinque reclamat. Hic Selbury collis rotundus
& in fastigium editus surgit, qui hominum labo-
re aggestus cum ex ipsis forma, & terræ subfi-
dantis facie videatur. Cujusmodi multi in hoc
tractu rotundi & fastigiati cernuntur, & Burrowes
& Barrowes vocant, in occisorum militum memo-
riam forte excitati. Ossa enim in illis reperiuntur,
& legi in usu fuisse Septentrionalibus, ut sin-
guli milites prælio superstites tantum terræ
quantum casside capere poterant, in occisorum
tumulos aggererent. Etsi hunc Selbury instar limi-
tis potius positum opiner, si non à Romanis, cer-
te à Saxonibus, perinde ac fossa illa VVodenſdik,
cum de limitibus inter Mercios & Saxones occi-
duos in hoc agro saepe decertatum, & ejusmo-
di tumulos pro limitibus aggestos fuisse Boëtius,

& Gromatici scriptores commemorarunt. De-
currit hic fluvius primo per campos è quibus
saxa uti rupes passim eminent, unde viculus ibi
Rockley. Rockley dictus, inter quas emergit nonnunquam
ex improviso aqua torrentis in modum, quæ qua-
si futuræ famis prænuncia Hungerborn rusticis vo-
catur. Inde Cunetio sui nominis urbem invisit,
quæ CVNETIO Antonino dicitur, & ad xx à
Verlucione milliare locatur. Ad quam distan-
tiam huic flumini Cunetioni antiqua illa urbs
novo nomine Marleborow, olim Marleberge in col-
lis declivi ab ortu in occasum protenditur. An
hoc recentius factum fuerit nomen à Marga,
quam Marle nostra lingua dicimus, & ad agros
stercorandos utimur, non facile dixerim. Certe
subjacet colli ex calce albicanti, quam majores
nostræ antequam hoc nomen Chalck, à calce La-
tinorum sunt mutuati, Marle dixerunt. Risu ve-
ro excipienda est illa à Merlini tumulo ducta no-
tatio, quam hoc disticho in suo de Divinæ sa-
pientiæ libro procudit Alexander Nechamus,
Merlini tumulus tibi Merlebrigia nomen
Fecit testis erit Anglica lingua mibi.

Cunetionis hujus, una cum nomine fatum, for-
tunaque cum antiquitatis memoria à Saxonum
ingressu ad Normannicum usque seculum periit,
interposito enim tempore ne nomen quidem us-
quam in nostris historiis occurrit. In sequenti ve-
ro sæculo legimus Ioannem cognomento Sine
terra, qui postea Rex Angliæ, hic castrum habui-
se, quod cum ille à fratre Richardo Primo defe-
cisset, Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus
expugnavit. Quodque postea celebratissimum
fuit, frequenti omnium totius Angliæ Ordinum
conventu, qui conjunctis sententiis ad tumultus
sedandos legem tulerunt, quæ Statutum de Mar-
leborow, vulgo vocatur. Nunc autem tempore
devictum, nihil aliud plane est, quam ruderum;
pauculae sane intra fossam superfunt mœnium re-
liquæ, & diversorum adjunctum pro castro in-
tersignum castris prætendit. Incolæ vero nihil
magis ostentant quam in proxima Ecclesia ad
Preſbut Baptisterium, ex obsidiano, ut videtur,
lapide, in quo nescio quos principes olim baptis-
mo Christo renatos fuisse perhibent. Nec tacen-
dum sane quod legi, quemlibet Burgensem hic
admissum duos canes leporarios, duos capos can-
didos, taurumque candidum veteri instituto Ma-
jori exhibere solere.

Eidem flumini etiam eadem ripa adiacet Ra-
mefbury pratorum amenitate nunc tantum com-
mendatus viculus, olim Episcoporum cathedra
celebratus, qui huic agro præfuerunt, sed cathe-
dra illa Shirburnensi ab Hermanno octavo Epis-
copo conjuncta, demum, ut dixi, Sarisburiam
translata, omnem secum famam hinc una trans-
tulit, quoniam apud Rameſberiam nec Clericorum erat
conventus, nec erat quo sufficiatetur. Ex altera ripa
magis ad Ortum Littlecot cernitur, quæ memoran-
da ob suum Dominum Ioannem Popham, qui sum-
mus in tribunali Regio Iudex iustitiæ officiis,
summa cum laude fungitur, ut jam dixi.

Huc usque Wiltonensem agrum perlustravi-
mus, qui ut est in Angliæ Notitia (nec adnotare
pigebit) reddebat Regi decem libras pro accipitre, virgin-
ti solidos pro summario, pro fœno centum solidos, & oras
quinque. Quod vel quale numi genus Ora illa fue-
rit,

In Geo-
metria.

Rockley.

Hunger-

born, id

est famis

rivulus.

Cunetio

oppidum.

Marlebo-

row.

Marlebo-